



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1611**

De eodem exemplo Christi, quo hanc perfectionem docuit. Cap. xxxvj.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)



fectum, aut scrupulosum inuenitur. Qui ita proximum diligit dilectione spirituali, dilectione pura, & illibata, illud profectò consequitur, vt in charitate fraterna perfectus sit, vt diligit fratrem sicut seipsum, & imitetur illum, qui dixit: Diligite inuicem, sicut ego dilexi vos.]

De eodem exemplo Christi, quo hanc perfectionem docuit.

C A P. XXXVI.



Ephes. 3.

Amb. ibi.

Rom. 11.

Ioan. 15.

Rom. 4.  
Rom. 11.

CONSIDERATIO amoris Christi Saluatoris erga nos, utilis admodum est, nec potest, licet summam, & cursum pertractata, aut paucis verbis exprimi, aut breui, & cõciso sermone declarari. Quare Paulus flebat genua sua ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in caelis, & in terra nominatur, vt det nobis scire supereminentem scientiam charitatem Christi.] Quare ita supereminet scientia nostra, ac omni humane, atque Angelicæ cognitioni, vt eam omnino comprehendere sit impossibile; cum gratia verò Dei apprehendere, & aliquatenus cognoscere vtilissimum & præstantissimum videatur. Quis enim potest colligere (vt Ambrosij verba subiiciamus) mysterij huius charitatis rationem, vt & Deus hominis causa homo nasceretur, deinde moreretur pro hominibus, pro seruis Dominus, pro creatura Creator, pro impijs pius? Propter quid ita dilexit nos? Aut, vt quid nostrum haberet, qui nullius indiget? Numquid non charitas hæc super scientiam hominum est? Si hæc ita sunt, non timeamus hoc immensum amoris pelagus amplius ingredi, certi quòd considerationis nostræ nauicula numquam præ defectu aquæ, Syrtibus, aut scopulis illidetur; sed potius tamquam in amplissimo & profundissimo mari, cuius nec inuenitur initium, nec finis, huc illuc, aut a fidei & humilitatis impulsa, secura iactabitur.

Inquiramus ergo adhuc, quomodo Christus dilexit nos, vt & nos, qui charitatis perfectionem querimus, ex eo amicos, & inimicos amare discamus. Dilexit nos ipse, qui sponsus animarum sanctarum est, sponte, & gratuito. Neque enim merita nostra, aut obsequia nostra præuenerunt eum, vt nos amaret, sed ante omne meritum, ante omne obsequium nos ipse dilexit. Quare Paulus: Quis prior dedit illi, & retribuatur ei? Clamemus in auribus omnium creaturarum; efferamus vocem in auribus omnium hominum, & Angelorum, & Christi præcones effecti, dicamus; Quis prior dedit illi? Exeat in publicum, loquatur, conqueratur, petat debitum suum, vt à Domino retribuatur ei. Et manifestum erit, quia nullus affurget, nullus exibat, nullus os suum ad aliquid postulandum aperiet: nemo quippe tã cæcus, aut ignorans est, qui non audiuerit nos non elegisse eum, sed potius ipsum elegisse nos, vt eamus & fructum afferamus, & fructus noster maneat. Amor Domini non inuenit, quod amaret in nobis, sed ipse misericorditer fecit, quod in nobis amaret; & diligendo, nos suo amore dignos effecit. Non inuenit quidem, quod in nobis amaret, imò multa reperit, quæ in nobis detestaretur, abominaretur, & odiret. Omnes originali peccato (vna Virgine excepta, quam ab omni labe seruasse excellentius beneficium fuit,) sordidos inuenit: Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei,] & conclusit Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur. Vniuersos etiam multis

A flagitijs aut peccatis propria voluntate commissis infectos reperit. Homines inimicos, hostes, & persecutores deprehendit, qui in propria venientem non receperunt. At nos non contempsit, non odio habuit, sed vsque ad acerbissimam mortem dilexit. Et ideo commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.] Inimicos inuenit nos, & ingratißimos futuros esse cognouit; & tamen neque peccatis læsus, neque vitijs offensus, neque ingratitude violatus, nos ipse contempsit, sed amauit, sed fouit, sed amplexatus est, vt sciamus, quia non vtilitatis alicuius gratia, sed gratis sponteque dilexit. Et hic ostendat se nobis fortissimus Nazareus, qui feminam alienigenam adamauit, naturam scilicet humanam, peccatis vitijque sædatam, & eam à patre in uxorem poposcit, dicens: Hanc mihi accipe.] Non ob aliam causam profectò, nisi quia placuit oculis meis.] Meretrix (inquit Augustinus) quam Samson in coniugium sumit, Ecclesia est, quæ ante agnitionem vnius Dei, cum idolis fornicata fuit, quam postea sibi Christus adiunxit. Postquam ab eo illuminata, fidem suscepit, etiam hoc meruit, vt per eum salutis sacramenta cognosceret, & ab eodem reuelarentur ei mysteria celestium secretorum.] Amor ergo Christi erga nos, non ex meritis nostris, sed ex sua bonitate manauit; non ex humana pulchritudine, sed ex diuina misericordia prodiiit. Vbi sunt, qui se Christi imitatores vocant, qui de perfectionis salutem desiderio, & de vita religiosa se iactant, si necdum gratis amare nouerunt? O quam multi sunt, non dico ex sæcularibus, sed etiam ex his, qui nuncium mundo miserunt, qui eos tantum amare sciunt, à quibus, aut donum aliquod perceperunt, aut beneficium nouum sperant! Amant Prælatos, adulantur eis, & sæpè non ad veritatem, sed ad voluntatem loquuntur, vt commoditatem, aut dignitatem accipiant. Amant maiores, vt apud Prælatos eos laudent, & pro eis intercedant. Amant æquales, vel minores, aut amare se simulant, ne illos vituperent, ne verbo, vel facto damnatum aliquod inferant, ne assequutionem quoquomodo desideratorum impediatur. Hoc modo Christus in suis membris amatus, amantibus non sine indignatione dicit: Amen dico vobis, queritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.] Non enim signis amoris eius illecti, & imitationis Christi, aut desiderio perfectionis inuitati, sed proprijs commodis, ac lucris commoti, membra Christi amant; & ideo non ex charitate amant, sed sibiipsis, & sæculi desiderijs inserviunt. Quo in illud pessimum vitium incurunt ab Augustino grauiter reprehensum, quo purissimam fratrum dilectionem, non in suum finem dirigunt, qui Deus est, sed ad noxia, & vana detorquent. Nam si vel ipsum hominem (inquit) homo dilexerit, non tamquam seipsum, sed tamquam iumentum, aut balneas, aut auiculam pictam, aut garrulam, id est, vt ex eo aliquid temporalis voluptatis, aut commodi capiat; seruiat necesse est, non homini, sed, quod est turpius, tam sædo & detestabili vitio, quo non amat hominem, sicut homo amandus est.] Amemus ergo gratis, nihil à proximis nostris ex amore requirentes, sed perfectionis adeptionem, ac æternum præmium expectantes.

Amor autem gratis exhibitus ab aliquo forrassis, non magni reputaretur, si non sibi utilis esset, atque proficus. Quare Dominus, vt suum amorem magni penderemus, & summum bonum nostrum, sicut re vera est, ac omnium bonorum fontem reputaremus, dilexit nos non solum gratuito, sed etiam vi-

Rom. 5.

Iudic. 14.  
Aug. ser.  
107. de  
tempore.

Ioan. 6.

Aug. lib.  
de vera  
religione.  
c. 46.

liter,



*Philip. 2.* liter, & fructuosè. Cum enim in forma Dei esset, non rapinam arbitatus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo. Humiliauit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. ] Pauper pro nobis factus est cum esset diues, ut eius inopia nos diuites essemus. ] Non itaque diuitias, non sæculi voluptates non res exigui pretij, sed omnem suam vitam sanctissimam, in nostrum usum, atque vtilitatem impendit. Natus est Dominus, ut spiritum nasceremur; infantulus factus est ille, qui æternus est, ut nos viri, non annis, sed viribus, sed animo, sed sapientia efficeremur: per triginta annos siluit, ut tacere, & superbiam ac fastum deijcere, & non nos iactare disceremus: laborauit, ne fatigaremur: passus est, ne pœnas æternas sustineremus: mortuus est, ne perpetua morti subiceremur: & resurrexit, ut semper & feliciter viueremus. Mortuus est propter delicta nostra & resurrexit propter iustificationem nostram. ] Quamobrem certa quadam ratione plustquam seipsum, dilexit nos; quia omnia sua, & etiam seipsum nobis, non minus mirabiliter quam amabiliter, contulit. Vides (inquit Cyrillus) nouum atque inauditum dilectionis modum. Lex enim fratrem diligendum esse ait, sicut seipsum; Christus autem magis nos quam seipsum, amauit. ] O perfectionis amatores, sic fratres vestros amare debetis, ut scilicet amore, ex quo aliquem ipsi fructum, aliquid emolumentum percipiant. Valde enim formido, quod in laboribus, proximorum gratia susceptis, non tam diligitis illos, quam amatis vos. Laboratis inter eos, apud quos laborare, ac verbum Dei seminare, non magnus labor, & magnus honor est; non tamen auderis laborare, & ad eos ad Christum trahendos properare, apud quos modicus honor, & magnus labor, licet cumulatisimo præmio comitatus inuenitur. Quid ni formidem vos, non laborem, sed honorem querere, non perfectum fratrum amorem, sed apud homines splendorem & gloriam aucupari? Laboratis apud eos, qui plurimos secum operarios habet, adeo ut liceat Christi verba commutare & dicere: Messis quidem pauca, operarij autem multi; ] quoniam in quocumque ciuitatis angulo messis amplum carobium, & plurimos operarios inuenit, qui eam colligat, & in horrea Christi reducat. Et non venitis, imò inspirationibus vocati, recusatis venire ad gentes hac nostra ætate conuersas, & à Domino ad fidem vocatas: contemnitis paruulos enixè postulantes panem, quia non est, qui frangat eis. Dissimularis, & clauditis oculos, ne videatis regiones amplissimas iam albas ad messem, in quibus nunc verissimè impletur: Quia messis quidem multa, operarij autem pauci. Quid ni suspicio cor meum tangat, vos non fructum in proximis cupere, sed vestrum honorem, aut saltem vestram quietem & vocationem queritare? Estis literati? Sed barbari literatis indigent. Estis concionatores insignes? Sed gentes verbo Dei vacuæ concionatores magnos expectant. Estis non communibus talentis præditi? Sed ista talenta vestra inter vestros oriosa, & rubigine sordida, & ferè in ceno negligentia sepulta, inter Indos fructum centuplicatum accipient. At dicetis: periculosum est exiguo ligno nos ipsos credere; difficile est Oceani vorrices superare, molestum est, patrium solum deserere, laboriosum est, cum barbaris & ignotis hominibus conuersari, terribile est, pretiosam vitam periculis multis exponere? Ego quidem homines perfectos alloquor, vel saltem ad perfectionem si-  
tientes verba facio, quod si vos propter pericula, atque

**A** molestias fratres vestros negligitis, necdum ad perfectionem aspirare videmini. Perfectus enim seipsum negligit, vitam corporalem contemnit, & animam suam perdit, ut animas lubrificat, & Christi vocantis & iurantis iussa perficiat. Audite hoc à Bernardo Doctore sanctissimo. Perfectus (inquit) omnis erit, qui alias dicere poterit: Vineam meam non custodiu; Jillo videlicet sensu, quo Saluator loquitur in Euangelio: Qui perdidit animam suam propter me, inueniet eam. ] Idoneus planè, & dignus, qui ponatur custos in vineis, quem propria cura vineæ à commissarum diligentia & sollicitudine non impedit, aut retardat; dum non quatit, quæ sua sunt, neque quod sibi vile est, sed quod multis. Propterea fanè Petro cura ista credita est in tam multis vineis, quæ erant de circumcissione, quia homo paratus erat, & in carcerem & in mortem ire: Vtque ad eodem vineæ, id est, suæ animæ non detinebatur amore, quominus curam intenderet creditarum. Merito & Paulo intergentes, tam ingens sylua credita est vinearum, quod & ipse in sua custodia vineæ minimè curiosus inuentus sit, ita ut non solum alligari; sed & mori in Ierusalem paratus fuerit propter nomen Domini Iesu Christi. ] Denique nihil horum vereor (inquit) nec facio animam meam pretiosiore, quam me. ] Optimus æstimator rerum, qui nihil suorum sibi præferendum existimet. ] Vos quoque si propriam deseratis voluntatem; si carnem crucifigatis cum vitiiis, & concupiscentiis, si membra vestra, quæ sunt super terram, mortificetis; si labores, & pericula pro indigentibus sustineatis; si molestias animarum gratia susceptas, toleretis; si splendorem, & hominum plausum spernatis; si Christi gloriam, & fidem propagare contendatis; probabitur vos animæ puritatem cupere perfectionem sitire; & ad sanitatem, anhelare. Tunc Christum imitabimini, qui non vsque ad requiem, non vsque ad gloriam, non vsque ad honorem & splendorem; sed vsque ad ignominiam, & vsque ad crucem & mortem dilexit nos.

**C** Non solum verò dilexit nos Christus fructuosè, sed dilexit etiam perseueranter. Nā secundum quod Deus est, ex æternitate nos diligit, nequālibet momentum cogitare possumus in quo Deus sit, in quo etiam non sit amor eius, quo creaturam suam dulciter aspicebat, atque imaginem suam à se factam amabat. Secundum autem quod homo est, ab ipso suæ conceptionis initio nos amat, nec vquam amare desistit. Amat, cum castigat flagellis, ut tentationibus, affligit morbis, & variis tribulationibus punnit. Quis enim neget patrem amore affici erga filium; cum illum corrigit, & pro excessibus admittis castigat? Præsertim cum scriptum sit: Quem enim diligit Dominus castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit. ] Amat etiam, cum nobis indulget, beneficiis allicit, conscientia securitate fouet, & consolationibus, ac dulcedine blanditur. Amavit nos in Virginis utero, amavit in præsepio, amavit in exilio, amavit in carcere, in vinculis, in flagellis, in spinis, in cruce, & in finem scilicet vsque ad mortem dilexit nos. ] Post mortem quoque nos amat, sedens ad dexteram patris. Ibi namque aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. ] Non mutauit Dominus ingenium cum dignitate & gloria, sicut ille ingratus pincerna Pharaonis, qui liberatus è carcere, castissimum Patriarcham obliuionis tradidit, à quo latissimum suæ liberationis nuntium acceperat. Sed gloria corporis affectus, & omnium bonorum cumulo amplexatus, recordatur nostri, & sanctissima stigmata æterno Patri ostendit, ut

Bern. ser.  
30. in ed.  
Cant. 2  
Matt. 10.

Luc. 22.

Act. 21.  
Act. 16.

Hebr. 11.

Ioan. 13.

1. Ioan. 2.

Gen. 40.

eum



eum reddat nobis propitium atque placatum. Iam quodammodo natura scilicet conditione, non est idem qui antea: antea mortalis; nunc immortalis: antea passibilis, nunc impassibilis: iam corruptibile suum induit incorruptionem; & mortale suum induit immortalitatem: iam impletus est sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. ] Sed amore & dilectione, idem est, qui antea; nimirum amator fidelissimus ac feruentissimus, qui degens in caelo, & sedens ad dexteram Patris, nos tenerrime amat, nos benignissime respicit, nos fidelissime gubernat, & nobiscum etiam mirabiliter commoratur: Nam ecce ego vobiscum sum (inquit) usque ad consummationem saeculi. ] Tunc hanc Christi in amando perseverantiam imitabimur, cum qualibet oborta difficultate, aut fratum ingratitude, aut molestia aut iniuria nobis irrogata, minime ab operibus dilectionis & beneficentiae cessamus. Qui enim ab operibus charitatis, & a profectu proximorum abstinere, ob difficultatem exortam, aut contra spem, quam mente conceperunt, inuentam, similes sunt filiis Israel, qui cognita fortitudine habitatorum terrae sibi promissae, timuerunt eos aggredi, & possessionem sibi à Domino concessam expugnare: Sic isti pusillanimitate victi, & insperata difficultate prostrati, captum charitatis opus deserunt, & cum illo charitatis perfectionem, & praemium sibi destinatum relinquunt. Qui vero ob molestiam, aut iniuriam sibi illatam amoris iura praetereunt, & in se maleficos, & hostes & inimicos despiciunt, non longe distant ab Ethnicis, & publicanis; qui etiam sciunt, se diligentes diligere, & beneficentibus benefacere. Unde Dominus ait: Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? ] Ut ergo simus perfecti, vniuersos homines ad Christi imitationem perseveranter diligamus; ita ut nec nos recens nata difficultas exterreat, nec iniuria aut ingratitude eorum, quos dileximus, & quibus benefecimus, nos à dilectione diuellat. Licet enim ipsi, aut ingrati, aut iniuriosi existant in nos, semper causa amandi perseverat, nempe Christus Iesus, propter quem amorem nostrum tam amicis quam inimicis impendimus.

Dilectionis perseverantiam, ut omnino perfecta sit debet consequi, aut comitari mansuetudo, & lenitas. Qui enim mitis & patiens non est, ad sustinendas proximorum molestias, eis contristatus, ab amore desistet, & nequaquam perseverabit. Quare Christus perseverantiam in amando, mansuetudinem & lenitatem adiunxit, & nos leniter & mansuete dilexit. Neque enim innumeris peccatis nostris irritatur, nec iniquitatibus provocatur, nec iniuriis lacessitur, nec mentium nostrarum incuriis, aut obliuionibus intepescit. Non reddit ardentissimus amator, malum pro malo; nec maledictum pro maledicto; sed potius à contrario semper benefacit. ] Cum eius oblitus sumus, ipse recordatur nostri: Cum praecipua transgredimur, saepe non negat quod petimus, si nostrae emendationi non officiat. ] Cum delinquimus, nostri miseretur, expectat, dissimulat, quaerit, inuitat, & ad poenitentiam vocat. Si vero inspirationibus & gratiae praesidio ad eum reuertamur, misericordia motus accurrit, cadit amanter super collum nostrum, & tenerrime, osculatur nos. Quod si verè, & ex animo dicimus cum filio prodigo: Pater peccani in caelum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenariis tuis; ] tunc nobiscum, non tamquam cum mercenariis &

mancipiis ingratis, sed tamquam cum amantissimis filius se gerit. Iubet ille cito profere stolam primam certissimae spei vitae immortalis habendae, & induit nos vestimentis salutis & indumento iustitiae circumdat nos, reddit quasi sponsos decoratos corona, & quasi sponas ornatas monilibus suis. ] Dat ille anulum in manibus nostris, scilicet imitationem sui, ut videntes alij opera nostra bona glorificent patrem nostrum, qui in calis est. Tribuit etiam calceamenta in pedes nostros, ut fortitudine calceati & sanctorum exemplis protecti ad tentationis lapidem non offendant. Hae omnia Saluatoris beneficia in seruos infideles, & homines ingratos & peccatores collata, manifestè eius amorem mansuetum ostendunt. Hae etiam ipsius mansuetudo homines inuitat, ut leniter & mansuete proximos diligant, & ut respicientes seipsum, tamquam infirmos & imbecillos, aliis, tamquam infirmis & imbecillibus compatiatur, & quod sibi volunt tribui, proximis quoque patienter impendant. Optime enim dixit sanctus Ephraem, Ecclesiae Ediffenae decus: Qui in medicorum curantur officinis, non latentur malis alienis, neque spernit quisque proximum causa morbi; sed potius studet vniuersis, morbo ac passione conceptoque à te dolore liberari; proximo autem manu pro possibilitate praebere ad facilius laborum dolores tolerandos. Oportet igitur & nos, alterutrum consolari ac admonere, potissimum vero tentationis tempore, ut sic verè ab amara seruitute peccati, ac tyrannide Diaboli, liberari queamus, & ignea eius tela extinguere, antequam nos ignis ille preoccupet inextinguibilis; tuncque plorantes ploremus in dolore cordis nostri, & non sit qui consoletur. ] Ita ergo nos inuicem respiciamus, & iniurias sine amoris detrimento condonemus. Nam qui statim, atque laeduntur, non solum igne de caelo perit, sed indignationem animo & verbis spirant, audiunt à Domino: Nescitis cuius spiritus estis; filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. ] Mèbra igitur eius non vindicta, sed patientia, & mansuetudine sibi, & emendationem, ac consolationem fratribus debet inquirere.

*Adhuc de eodem exemplo Christi quo perfectionem fraternae charitatis docuit.*

CAPVT XXXVII.

**D**Ulcis est amoris memoria, quae non solum hominum corda potenter emollic, sed etiam bestiarum immanium peccata mitigat, & erga filios quos amat, ad quamdam benignitatem & indulgentiam inclinatur: recordatio amoris Christi erga nos, est sine vlla comparatione suauior, quae iustorum animos in spem bonorum supernorum erigit, & in intimo quodam calore purissimi ac plenè diuini amoris accendit. Quis enim videns seipsum à filio Dei & ab ipso principio, & fonte salutis amatum, despondeat animu, & aliquam salutis stillam sibi danda esse non credat? Quae licet pusilla admodum esset, si cum aliorum gloria conferatur, ipsa tamen beare nos sufficit, & omnes capacitates nostrae replet implere. Et quis à Christo summo rege se dilectum esse considerans & suam vilitatem & indignitatem expendens, non amet illu benignum Patrem, & largissimum Dominum, à quo in artham aeterni praemij, lumen fidei, robur spei, charitatis ardorem, & aliorum innumerabilium bonorum copiam accipit? Christi potestas (ut est in Daniele) aeterna

est,

1. Cor. 15.

Mat. ult.

Mat. 5.

1. Petr. 3.

Luc. 15.

Isa. 61.

Mat. 5.

Ephraem de abstinentendo & cupiditatibus.

Luc. 12.

Dan. 7.